

- III. Præsciti non sunt partes ecclesiæ, cum nulla pars eius finaliter excideret ab ea, eo q̄ D
 1. Cor. 11. c. prædestinationis charitas, quæ ipsam ligat, non excidit.
- III. Duæ naturæ diuinitas & humanitas, sunt unus Christus.
- V. Præscitus etsi aliquando est in gratia secundum præsentem iustitiam, tamen nunquam est pars sanctæ ecclesiæ: & prædestinatus semper manet membrum ecclesiæ, licet aliquando excidat à gratia aduentitia, sed non à gratia prædestinationis.
- VI. Sumendo ecclesiam pro conuocatione prædestinatorum, siue fuerint in gratia, siue non secundum præsentem iustitiam, isto modo ecclesia est articulus fidei.
- VII. Petrus non est, nec fuit caput ecclesiæ sanctæ catholicæ.
- VIII. Sacerdotes quomodolibet criminose uiuentes, sacerdotij possunt potestatem: & sic, ut filij infideles, sentiunt infideliter de septem sacramentis ecclesiæ, de clauibus, officijs, censuris, moribus, ceremonijs & sacris rebus ecclesiæ, ueneratione reliquiarum, indulgentijs & ordinibus.
- IX. Papalis dignitas à Cæsare inoleuit, & papæ præfectio & institutio à Cæsaris potentia emanauit.
- X. Nullus sine reuelatione assereret rationabiliter de se uel alio, q̄ esset caput ecclesiæ particularis, nec Romanus pontifex est caput Romanæ ecclesiæ particularis.
- XI. Non oportet credere, q̄ iste quicumq; est Romanus pontifex, sit caput cuiuscunq; particularis ecclesiæ sanctæ, nisi deus eum prædestinauerit.
- XII. Nemo gerit uicem Christi uel Petri, nisi sequatur eum in morib⁹, cum nulla alia sequela sit pertinentior, nec aliter recipiat à deo procuratoriam potestatem: quia ad illud officium uicarius requiritur & morum conformitas, & institutiua autoritas.
- XIII. Papanon est uerus & manifestus successor apostolorum principis Petri, si uiuit moribus contrarijs Petro: & si quarit auaritiam, tunc est uicarius Iudæ Scharioth. Et pari euentia cardinales non sunt ueri & manifesti successores collegij aliorum apostolorum Christi, nisi uixerint more apostolorum, seruantes mandata & consilia domini nostri Iesu Christi.
- XIIII. Doctores, ponentes q̄ aliquis per censuram ecclesiasticam emendandus, si corrigi noluerit, seculari iudicio est tradendus, pro certo sequuntur in hoc pontifices, scribas & phariseos, qui Christum non uolentem eis obedire in omnibus, dicentes, Nobis non licet interficere quemquam, ipsum seculari iudicio tradiderunt, & q̄ tales sine homicida grauiores q̄ Pilatus.
- XV. Obedientia ecclesiastica est obedientia secundum adinventionem sacerdotum ecclesiæ, præter expressam autoritatem scripturæ.
- XVI. Diuisio immediata humanorum operum est, q̄ sunt uel uirtuosa uel uitiosa: quæ si homo est uitiosus, & agit quicumquam, tunc agit uitiose: & si est uirtuosus, & agit quicumquam, tunc agit uirtuose: quia sicut uirtuū quod crimen dicitur seu mortale peccatum, inficit uniuersaliter actus hominis uitiosi, sic uirtus uiuificat omnes actus hominis uirtuosi.
- XVII. Sacerdotes Christi uiuentes secundum legem eius, & habentes scripturæ notationem & affectum ad ædificandum populum, debent prædicare non obstante præsentia excommunicatione. & infra, Quod si papa uel aliquis prælatus mandat sacerdoti sic disposito, non prædicare, non debet subditus obedire.
- XVIII. Quilibet prædicantis officium de mandato accipit, qui ad sacerdotium accedit, & illud mandatum debet exequi, præsentia excommunicatione non obstante.
- XIX. Per censuras ecclesiasticas excommunicationis, suspensionis, & interdicti, ad sui exaltationem clerus populum laicalem sibi suppeditat, auaritiam multiplicat, malitiam protegit, & uiam præparat Antichristo. Signum autem euidentissimum est q̄ ab Antichristo procedunt censuræ, quas uocant in suis processibus fulminatões, quibus clerus principalissime procedit contra illos, qui denudat nequitiam Antichristi, qui clerum pro se maxime usurpabit.
- XX. Si papa est malus, & præsertim si est præscitus, tunc ut Iudas apostolus est diabolus,